CLADES SAXONUM,

Quos,

In Poloniâ cædibus ac rapinis grassantes, educturum se promiserat Rex Poloniæ: insidiatus tamen reipublicæ libertati, contra jusjurandum, tam diu retinuerat, donec a Svecis, quorum provinciam simul invaserant, ad Dunam cæsi fugatique sunt, Anno MDCCI. d. IX. Julii.

1701 9/7

Od H. Bukowskiego z Sztokholm

PRomisit jurans abituras Saxo cohortes,

Lechiadum claras queis modo carpsit opes.

Dum cessat, nectitque dolos, qua callidus arte

Ludere pollicitam posset, ut ante, fidem:

Interea terram miles prædatur inultam:

Diraque finitimos pestis inundat agros.

Sarmata stat dubius, quæ tandem vota seqvatur:

Intus agit cæcos spesque metusque viros.

Hic honor, & fulvus cupidos Jovis incitat imber;

Illic libertas luget avita jugum.

Vectus ab Arctoa sed tandem CAROLUS orâ,

Invisam docuit præcipitare moram.

Concîdit Gothico dovotas ense cohortes;

Et levat infesta rura paterna lue.

Remque simul magnam præstat Regi, atq; Polonis:

Illum promissis liberat, hosce metu.